SYNOPSIS
IMPETIGINUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VII. M. JULII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Julius Barasch
GALICIENSIS.

OPPONENTIBUS:
J. BERGSON, med. et chir. Dr.
M. MATHIAS, med. et chir. Cand.
H. JOLOWICZ, philos. et philolog. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

TABULA MORBORUM CUTANEORUM QUI HIC CONTINENTUR.

Ordo V. Vesiculae.

Ordo VI. Bullae.

Ordo VII. Pustulae.

Appendix.

INTRODUCTIO.

Morbos cutaneos accuratius si consideramus, plantas, quas dicimus parasitas, animalibus inhaerentes, vel aliis verbis vegetabilia, in animalibus vigentia, nobis sese praebent. Exanthemata enim cutis (sensu latiori, quo et exanthemata acuta, et chronica seu impetigines comprehenduntur) in duorum quasi regnorum, macrocosmi quidem et microcosmi, finibus sunt posita, quia cutis, in qua erumpunt, crescunt et vigent, solus est finis macrocosmi et microcosmi. Quae quum ita sint, exanthemata quoque omnium generum eundem, quo gaudent omnes in universo res, — praecipue organicae — processum progredientem, quo ab imperfectis ad perfectiores et paullatim ad perfectissimos gradus progrediuntur, nobis manifestant. — Quibus ex causis aptissimum nobis videtur, morbos cutaneos hac ratione intueri, atque in impetiginibus describendis ordines, quos statim explicaturi sumus, gradatim sequi. —

Ab infimo gradu initium capiens, a maculis quidem, quae solummodo cutis mutatione sine eminentia materiali existunt (amorphae), progreditur ordo seu series ad gradum superiorem, ad squamas, jam materiae essentialis seu cutis eminentiae participes, forma s. figura vero regulari, atque ad certos limites redacta carentes (crypto-impetigines). Qui sequitur gradus, continet impetigines, scil.

papulas, quae eminentia quidem et forma regulari, limitata, sed nondum contento, veluti fructu, gaudent (Drupo-impetigines). Ultimus denique atque supremus, ad quem perveniunt impetigines gradus est, qui eruptiones eminentiis, formis regularibus, determinatis atque limitatis, et contento (A) aut seroso, quod (a) partim minoris copiae (vesiculae), (b) partim majoris copiae (bullae) est, aut (B) puriformi (pustulae) praeditas involvit.

Maculas igitur ex his morbis cutaneis, quas diximus impetigines, infimum habere locum, pustulas summum, ceteros vero gradus membra quasi intermedia esse contendimus.

Cf. Schönleins Pathologie u. Therapie T. III. pag. 12.

De Impetiginibus.

§. 1.

Definitio. Per Impetigines intelligimus morbos cutem infestantes, qui decursum chronicum habent; aliis verbis, qui non semper et necessario (1) febre stipantur, et praeterea hominem plus quam semel in vitae suae decursu invadere possunt; his notis Impetigines ab Exanthematibus (morbis evolutionis febrilibus) dignoscendae sunt. —

Ad characterem impetiginum pertinet, ut a) cutem externam, scilicet epidermidem, corpus papillare, et rete Malpighii occupent; b) secretionem cutis et qualitate et quantitate alternent, et denique c) ut tanquam ut plantae certa stadia percurrant, scilicet: 1) stad. germinationis; 2) stad. evolutionis; 3) stad. florescentiae; 4) stad. maturitatis seu fructuum; et 5) stad. involutionis seu decrepiditatis (apud plurimas in hoc stadio desquamatio apparet). (2)

---

(1) Hac definitione declarabitur, cur aliquos morbos cutis, qui interdum febre stipati sunt, inter impetigines collocavimus.

(2) Schoenlein's allgemeine und specielle Pathologie und Therapie Th. 3. S. 1.

Impetigines septem ordines comprehendunt, scilicet: 1) Ord. macularum; 2) Ord. squamarum; 3) Ord. tuberculorum; 4) Ord. papularum; 5) Ord. vesicularum; 6) Ord. bullarum; et 7) Ord. pustularum. (Cf. introductio)

Ordo primus.

§. 2. De maculis.

Definitio. Maculae sunt mutationes cuticulae coloris variis coloribus et figuris, sine ulla eminentia, modo congenitae, modo acquisitae.

Genera hujus ordinis sunt quinque: Urticaria, Roseola, Purpura, Erythema et Chloasma.

§. 3.

De Urticaria.

Symptomatologia. Urticaria est elevatio (sed non eminentia perfecta) cuticulae levis, variis figuris (rotundis aut longis), apice albo, saepe rubore diffuso circumdato. — Non est contagiosa. —

Species existunt sex: urticaria febrilis, evanida, perstans, conferta, subcutanea et tuberosa; sed aliae species multo saepius in parte corporis quadam reperiuntur quam species febrilis.

Aetiologia. Irritabilitas, ex dentitione, obstipatione, aut plethora exorta; cibi quidam aut potus, et exhalatio per cutem subito impedita. —

Therapia. Purgantia lenia et pro re nata repetita; fructus et potus subacidi; diaeta facilis concoctu, atque blanda, cinchona et amara expediunt; a liquoribus fermentatis et spirituosis aegro abstinendum est; et balneo calido uti, vel partem eruptione tumidam et prurientem farina tritici tegere aut decocto capit. papaver. lavare prodest. Ad praecavendum morbum recidivum porriguntur: naphtha, cort. peruv., tinct. aromat., acida et vinum.

§. 4.

de Roseola.

Symptomatologia. Cutis colore roseo efflorescit, varie figurato, sine eminentiis, aut papulis. — Roseola non contagiosa est

Species. Septem: Roseola aestiva, autumnalis, annulata, infantilis, variolosa, vaccina et milliaris.

Aetiologia. Habitus nimis irritabilis; vicissitudo subita frigoris aut caloris et vitia intestinorum.

Nota. Aliquando languor, capitis artuumque dolor; perturbatio functionum ventriculi; fastidium cibi; vertigo; calor major, et sitis febrem adesse declarant.

Therapia. Diaeta levis; potus acidus, laxantia; et balneum tepidum vel in mare descendere, curationem cito efficiunt.

§. 5.

De Purpura.

Symptomatologia. Cutis efflorescit in maculis parvis, distinctis, purpureis; debilitate generali, sed non semper febre stipatis.

Species. Quatuor: purpura simplex, haemorrhagica, urticans et contagiosa.

Aetiologia. Causae ejus obscurae et incertae sunt; purpura autem eos, qui imbecilles sunt, et constitutione tenera praediti, aut viscere aliquo obstructo tentati, corripere videtur.

Nota. Purpura haemorrhagica vulgo **petechiae sine** febre nominata, petechias frequentes vibices, et ecchymoses quae primo rubrae dein purpureae et croceae fiunt exhibet. Cuticula facile deteritur et tactu quidem leni, sanguis extra vasa effunditur sub cuticula, maculamque efficit. In eodem corporis malo habitu, sanguis e gingivis, naribus, faucibus, lingua, et ex omni membrana interna canalis alimentarii, uteri, renum et pulmonum, erumpit, assidueque exsudat; aut sese remittit,

iterumque brevi increscit. Debilitas maxima est; animus demissus; pulsus debilis et frequens, irritatio febrilis, aliquando dolores in praecordiis, abdomine aut lumbis; syncope; pallor vultus et oedema pedum accedunt.

Therapia. Si aeger malo corporis habitu est, ob aërem inquinatum, diaetam nimis parcam et fatigationem; tonica et acida, praecipue cinchona et vinum rubrum cum aëre puro, optima esse videntur. Cum autem aeger natura robusta, atque forti, huic morbo implicatur; et si febricula, dolores interni, tussis sicca, et alvus varia accesserunt, purgantia repetita, et nonnunquam missio sanguinis, ex usu maximo sunt; deinde tonica, praecique sulphas quinicus, aromatica, et diaeta nutriens, idonea sunt ad corpus firmandum.

§. 6.

De Erythemate.

Symptomatologia. Rubor ex parte cutis paene continuus, aliquo constitutionis affectu stipatus; sed non contagiosum est.

Species. Septem: Erythema intertrigo, fugax, laeve, marginatum, papulatum, tuberculatum et nodosum.

Aetiologia. Oritur saepe ex affectibus ventriculi et intestinorum chronicis; hinc Erythema saepius dyspepticos et hystericos infestat. Intertrigo plerumque, apud infantes, in regione pubis, ex humiditate et immunditie nascitur. —

Therapia. Purgantia lenia; diaphoretica; acida bene diluta, et diaeta facilis concoctu, morbum superant; nonnunquam ablutio tepida; axungia, vel pulvis carbonatis calcis, et contra Intertriginem pulvis seminis lycopodii, extrinsecus utilis est. —

§. 7.

De Chloasmate.

Symptomatologia. Mutationes coloris cutis topicae, sine eminentiis, totam seriem varietatum fusci (de flavo-fusco

ad nigro-fuscum usque) ostendentes, et desquamationes furfuraceas relinquentes.

Species sunt tres: Chloasma ephelis; hepaticum seu lentigo, et uterinum.

Aetiologia. Ardore solis aestivo ephelis, dyscrasia biliosa et dysmenorrhoea lentigo; et graviditate chloasma uterinum oriri videtur.

Therapia. Commoratio nimis longa sub divo evitanda, et aqua cosmetica utendum est; lentigines natro boracico cito expelluntur; lavatio c. Aqua oxymuriatica, et intrinsecus, mixtura sulphurico-acida valde prodest. (Vide tabulam formularum No. IV & No. XI)

Ordo secundus.

§. 8. Squama.

Definitio. Squama est lamina cuticulae morbidae, durae, spissatae, subalbidae et opacae. Squamae cum in laminas inordinatas increscunt, crustae appellantur.

Genera comprehendit quatuor: pityriasin, ichthyosin, psoriasin et lepram.

§. 9.

De Pityriasi.

Symptomatologia. Maculae exiguae, squamosae, quae saepe decedunt, redeuntque, sed neque in crustas abeunt, neque cute exulcerata stipantur.

Species sunt quatuor: Pityriasis capitis (seu tinea furfuracea), rubra, versicolor et nigra.

Therapia. Ablutione saponacea, munditie summa, balneo calido aquae marinae, extrinsecus; tinctura veratri, acido muriatico oxygenato intrinsecus uti, convenit.

§. 10.

De Ichthyosi.

Symptomatologia. Textura tegmentorum est spissata, dura, aspera et aliquando paene cornea, quae squamulas exuit,

sed laminis deciduis, maculis in locis distinctis, aut affectu constitutionis generali, quae ad Psoriasin et Lepram, ut videbimus, pertinent, semper caret.

Species sunt duae: Ichthyosis simplex, et cornea.

Therapia. Balneum calidum et frictio squamas removent; deinde unguentum nitratis hydrargyri (s. Ungt. citrin.) omni nocte illinatur; et pilulae resina guajaci cum sapone medicato; si malum pertinax est, liquor arsenicalis a nonnullis commendatur.

§. 11.

De Psoriasi.

Symptomatologia. Eruptio inaequalis, aspera, et squamosa; sed margine elevato inflammato, et ovali aut circulari, qui Leprae est, eget; et sub squamis cutis tenerior, et saepe rimosa est.

Species sunt quatuor: Psoriasis guttata, diffusa, gyrata et inveterata.

Aetiologia. Nonnunquam ex haustu aquae frigidae, corpore fatigato et sudante; ac precique ex cibis quibusdam, oriri solet.

Therapia. Diaeta tenuis; purgantia lenia; calx sulphurata et kali sulphuratum, — et cinchona, simul cum ablutione tepida, fere psoriasin curant; squamas locales unguento nitratis hydrargyri submovere utile est. Si dolor urens pruriensque, cum calore morbido partis affectae aegrum vexet, cataplasma frigidum e micis panis et aqua acetatis plumbi parti dolenti applicatum, et saepe repetitum, inflammationem et dolorem minuet.

§. 12.

De Lepra.

Symptomatologia. Maculae squamosae, magnitudine variae, sed fere semper subrotundae.

Species existunt duae: A) Lepra orientalis, cujus antehac quatuor varietates fuerunt: 1) L. alba s. Mosaica; 2) L. squamosa s. Graeca; 3) L. nodosa (elephantiasis) s. Arabum; 4) L. rubra seu scorbutica; sed omnes illae in praesenti non endemice inveniuntur; B) Lepra occidentalis, cujus nunc quatuor varietates existunt: 1) L. Taurica; 2) L. arctica s. Norvegiana (Radesyge); 3) L. Longobardica (pellagra); 4) L. Asturiensis.

Aetiologia. Quibus ex causis oriatur, est difficillimum dictu, sed ex sordibus cuti inhaerentibus, frigore et humore conjunctis et aliquando cibis quibusdam, et aromaticis, oriri putabatur; verisimilius est fortasse e labe haereditaria constitutionis eam oriri.

Therapia. Lepra interdum curatu difficillima est; sed cum lenis, balneo calido et frictione modica aut ablutione simplice aquarum sulphur continentium submoveri potest; sin autem squamae in crustas spissas convertantur, alcohol dilutum, solutio Kali sulphurati, lotio ex aqua potassae, vel acido muriatico, multum diluta, simul cum ablutione calida, vel vapore aquae, crustas molliunt tolluntque; deinde unguentum nitratis hydrargyri omni nocte applicatum, et ablutio mane cum aqua calida et sapone, respondebunt. — Quoad remedia interna: Liquoris arsenicalis guttae octo (vel decem), resinae guajaci grana tria (aut muriatis hydrargyri gr. duo) in Aq. Unc. solut. M. d.s. cujus guttae triginta in cyatho aquae; decoctum stipit. dulcamarae; mane et vespere laudantur secundum varias conditiones. In casibus pertinacioribus potio ex aq. picis & ungt. picis magnopere laudatur. (1) Cum cutis multum inflammata, densa, rigida et

---

(1) Aus dem 13. Jahresbericht über das Katharinenhospital zu Stuttgart entworfen von dem Vorstande desselben, dem Ober-Medizinalassessor Dr. Cless und dessen Sohn Dr. Cless. — (Med. centr. Zeitung 6. März 1841.)

rubicunda est, cum calore, dolore et pruritu, partes affectas illinere axungia vel cremore lactis, maxime convenit. Usus tamen quotidianus purgantium medicamentorum lenium corpus refrigerat, irritationem cutis minuit atque curationem festinat. —

Ordo tertius.

§. 13. Tubercula.

Definitio. Tuberculum est tumor parvus, durus, circumscriptus, et permanens, aut ex parte suppurans.

Genera comprehendunt duo: acnem et sycosin.

Nota. Huc pertinent etiam lupus (a, superficialis; b, vorax; c, excedens), phyma, veruca, molluscum et vitiligo, sed de his quia rara sunt, non operae pretium est tractare.

§. 14.

De Acne.

Symptomatologia. Eruptio tuberculorum quae distincta et dura sunt, et modo diu existunt, modo tarde, et ex parte in suppurationem abeunt (pustula pedicellata).

Varietates sunt quatuor: Acne simplex, punctata, indurata et rosacea.

Nota. Acne plerumque faciem, praecipue frontem, tempora et mentum, interdum cervicem, humeros et summum pectus occupat; aetatem florentem vexat.

Therapia. Medicamenta, quae alvum leniter ducant, per hebdomades quidem nonnullas adhiberi debent, lotio muriatis hydrargyri fortis (gr. j. pro Unc. I. Aq.) ad partes affectas applicata saepius utile est. In specie rosacea tamen adstringentia mitia extrinsecus adhibenda sunt.

§. 15.

De Sycosi.

Diagnosis. Sycosis ad Acnem affinis, eruptione tuber-

culorum cognoscitur, quae rubra et subdura sunt, mentum aut caput in gregibus occupantia.

Species sunt duae, Sycosis menti (mentagra), et capillitii.

Therapia. Tuberculis confertis in suppurationem abeuntibus, cataplasmata emollientia applicari debent; interdum ea aqua calida fovere, deinde unguento nitratis hydrargyri, aut oxydi zinci, aut hydrargyri praecipitati albi, pro gradu inflammationis tegere satis est.

Rcp. hydrargyr. muriat. mit. gr. jj
antimon. crud. pulv. gr. jjj
graphit. gr. xv
sacchar. alb. gr. xx

M. D. S. sumatur haec dosis vespertino tempore.

§. 16.

Ordo quartus.

Papulae.

Definitio. Eminentia cutis parva et fastigata, cum basi inflammata, perraro humorem continens, aut suppurans, et plerumque in squamulas furfuraceas abiens.

Genera comprehendunt tria, strophulum, lichenem et pruriginem.

§. 17.

De Strophulo.

Definitio. Papulae aetatem infantilem praecipue sub dentitione invadentes.

Species sunt quinque: Strophulus interstinctus, albidus, candidus, volaticus et confertus.

Aetiologia. Irritatio, quam dentitio, obstipatio, vel aliud irritamentum corpori applicatum moveat, pro causa habetur.

Therapia. Si ex dentitione oriatur, gingivas incidere; si ex obstipatione, alvum ducere; si ex ullo alio irritamento, in balneum calidum aegrum immergere mane et vespere, expedit.

§. 18.
De Lichene.

Symptomatologia. Eruptio papularum, adultos afficiens, cum vitio aliquo interno conjuncta, fere in squamulas furfuraceas abiens, et recurrens. Eruptioni semper febris gastrica levis antecedit.

Nota. Non est contagiosa et plerumque inter duas ad tres hebdomades decursum suum facit.

Diagnosis. Sua natura symptomatica, et suo decursu acuto Psydracia, quae ei similis est, dignoscitur. —

Species sunt septem: Lichen simplex, pilaris, circumscriptus, lividus, agrius, tropicus et urticatus.

Aetiologia. Fere omnes species Lichenis ex irritabilitate nimia constitutionis, dyspepsia, debilitate post febres, et ex irritatione, vel interna, vel externa, oriuntur.

Therapia. Laxantia refrigerantia, sicuti flores sulphuris et tartarus depuratus, acidum sulphuricum multa aqua aromatica dilutum; vinum vel tinctura ferri tartarici et nonnunquam etiam emetica praecipue in lichene agrio ex usu maximo sunt; satis est eruptionem axungia illinere ad pruritum minuendum.

§. 19.
De Prurigine.

Symptomatologia. Pruritus molestus, papularum eruptione stipatus.

Species sunt quatuor: prurigo mitis, formicans, senilis, et scabida, s. psydracia, s. scabies spuria.

Aetiologia. Ex vitiis concoctionis; visceribus abdominis obstructis; diaeta nimis calefaciente; condimentis, et constitutione infirma oriri videntur.

Therapia. Purgantia lenia; sulphur cum carbonate sodae, acidum muriaticum oxygenatum, acida mineralia bene diluta, tonica, veluti cinchona, decoctum sarsaparillae vel species

ad decoctum lignorum intrinsecus; balneum tepidum aut lavatio cum aqua tepida et sapone; aqua mercurii sublimati bene diluta, aqua calcis; aut oleum terebinthinae oleo amygdalarum dilutum pro re nata extrinsecus, utilia sunt.

§. 20.

Ordo quintus.

Vesiculae.

Definitio. Elevatio cuticulae exigua, rotunda, lympham aliquando limpidam, saepius vero opacam et subalbidam continens, atque in squamulas, aut in crustam tenuem abiens.

Genera vesicularum sunt quinque: **herpes, scabies, rupia, eczema et aphthae.**

§. 21.

De Herpete.

Symptomatologia. Vesiculae continuae perexiguaeque, in gregibus distinctis et inaequalibus, quarum fere aliae aliis succedunt, basi inflammata apparent, serpuntque, nonnunquam sanescentibus iis quae primum eruperant.

Species sunt sex: herpes phlyctaenodes, zoster, circinatus, labialis, praeputialis et iris.

Nota. Herpes non contagiosus est, et interdum solummodo febris eum comitatur. Plerumque per biduum triduumve ante eruptionem pars prurit doletque; dein vesiculae in conspectum veniunt sub forma corymbi, aut zonae, aut annuli.

Therapia. Purgantia praecipue hydrargyrum muriat. mit., ut alvum bis terve in die ducant; et lotio adstringens externa, veluti solutio zinci sulphurici, aqua calcis, aqua mercurii sublimati bene diluta; aut tinctura ferri muriatici ad partem affectam bene lavandam, bis terve indies; aut ungt. hydr. nitr. applicetur, si inflammatio haud ita magna sit; sed si magna, farina tritici parti aspersa nonnihil refrigerat.

§. 22.

De Scabie vera (vesiculari).

Symptomatologia. Eruptio vesicularum exiguarum, parum supra cutem eminentium, quae vel pustulis miscentur, vel in eas abeunt; pruritu perpetuo molesto (sed ut ab nonnullis dicitur jucundo) in calore lecti aucto, sine febre stipatur; et semper contagiosa est.

Diagnosis. Loca affecta scilicet partes flexoriae corporis praecipue spatium inter digitos; et serum aquosum vesiculis laesis effluens diagnosin scabiei statuunt. —

Varietates sunt quatuor: scabies papuliformis, lymphatica, purulenta et cachectica.

Nota. Scabies papuliformis, vesiculas prurientes, leniter inflammatas et acuminatas habet; lymphatica vesiculas pellucidas haud ita parvas sine basi inflammata; purulenta, pustulas prominentes, distinctas et subflavas cum basi leniter inflammata exhibet, quae duos tresve dies maturescunt et tum exulcerant non sine doloris atque inflammationis incremento.

Therapia. Partes eruptione affectas inungi unguento sulphuris omni nocte, et mane eas lavari aqua calida et sapone oportet, et eodem tempore medicamentum laxans adhiberi, sicuti florum sulphuris partem unam, cremoris tartari partes duas, in pulverem mistas, cujus aeger capiat drachmas nonnullas vespere, et mane quoque, nisi prius alvus responderit. Multa alia usurpata sunt, veluti ungt. vel decoct. hellebori albi; liquor kali caustici, ammon. muriat.; aqua sublimati, et ungt. mercurii praecipitati albi.

Rcp. Sulphur. dep. ℥j,
ammon. mur. ʒj
adip. suill. ℥jj
M. f. unguentum

(Ungt. contra scabiem Hufelandi). —

§. 22.

De Rupia.

Symptomatologia. Vesiculae latae et planae, basi leniter inflammata cinctae, quae non confluentes fiunt, tarde maturescunt, et in crustas tenues abeunt, quae facile absterguntur, moxque renovantur.

Varietates sunt tres; Rupia simplex, prominens et escharotica.

Therapia. Laxantia, praecipue sulphur, et hydr. mur. mit., diaeta nutriens, et interdum tonica.

§. 23.

De Eczemate.

Symptomatologia. Vesiculae exiguae, quae partes corporis varias occupant, confertae, nulla inflammatione circumdatae, et nulla febre stipatae.

Nota. Non contagiosum est.

Species sunt duae: Eczema solare et impetiginodes (de eczemate rubro s. hydrargyria vide §. 33.)

Therapia. Laxantia lenia, et ablutio externa cum aqua calida et lacte, fere respondent.

§. 24.

De Aphthis.

Symptomatologia. Vesiculae exiguae albidae, linguae, faucium et oris superficiem occupantes, quae saepe discretae, (aliquando coalescentes), abrasae cito renascentes, et incerto tempore manentes, in crustas subalbidas abeunt.

Species sunt quinque: Aphthae lactantium s. dentitionis, exsudativae (fr. mugué), ulcerosae, gangraenosae, anginosae.

Diagnosis de Stomacace. In hoc morbo gingivae tumescentes et lividae sunt, pressu leviori jam sanguinem emittunt. Vitium locale non vesiculis exiguis et discretis, ut

plurimum in Aphthis, constat, sed in massis magnis bullosis, quae adhibita Pincetta pannulis solvuntur, apparet.

Aetiologia. In aetate infantili, ex cibis nimis spissis et calidis, irritatione dentitionis aut ventriculi et intestinorum; in adulta e debilitate aliis morbis praeeuntibus inducta aut frigore et humore conjunctis, ut in Angina, Aphthae oriuntur.

Therapia. Contra omnes species Aphtharum acidum muriaticum utilissimum est, emetica etiam nonnunquam valde prosunt.

Sed in specie, ex debilitate ventriculi et acore primarum viarum orta, carbonas calcis, vel magnesia, vel alia antacida utilia sunt; et os subinde foveatur solutione boracis tenui; interdum nutricem mutare expedit. Quum morbis aphthae superveniunt, ex summa debilitate pendent. Diaeta lauta et nutriens, vinum rubrum, cinchona, et alia tonica utilissima sunt; alvus nec adstricta, nec soluta, sed facilis tenenda est; gargarisma adstringens quoque utile est.

Ordo sextus.

§. 25.

De Bullis.

Definitio. Portio magna cuticulae, e cute disjuncta, humore limpido impleta, qui erumpit et superficie cuticulae privatus, crusta plana subflava aut subnigra tecta evadit, quae remanet, donec cuticula subter ea renovetur.

Genera bullarum sunt duo: pemphigus et pompholyx. —

Nota. De erysipelate bulloso, ad classem exanthematum acutorum pertinente, hoc loco non loquendum est.

§. 26.

De Pemphigo.

Symptomatologia. Primo, secundo aut tertio morbi die, in variis corporis partibus vesiculae, magnitudine variae, sero subflavo aut ichore tenui plenae, per plures dies manentes, interdum cum febre, sed plerumque sine ea, nascuntur.

Nota. Interdum febris potius acuta; multo saepius autem irritabilitas magna functiones corporis plures perturbat, aegrumque premit debilitate magna. Antea Pemphigus contagiosus putatus est; sed, nostris temporibus, plerumque non contagiosus, sed persaepe functionibus organorum uropoeticorum laesis nitens, existimatur.

Therapia. Purgantia lenia pro re nata repetita, diuretica mitia, pulvis Doweri et diaeta levis: si debilitas urgeat, vinum et cinchona necessaria sunt. Sed nonnunquam difficillimum curatu est. —

§. 27.

De Pompholyge.

Symptomatologia. Bullae sine febre et inflammato margine, lympham continentes, magnitudine variae, quae bullae (seu tumores) aliae post alias apparent, paucis diebus erumpunt, et benignae sanantur.

Nota. Languor, lassitudo, capitis dolor, fastidium cibi, dolores vagi praeeunt; deinde quibusdam in locis cutis prurit, ubi cuticula humore elevatur bullasque format.

Species sunt tres: Pompholyx benignus, diutinus et solitarius.

Aetiologia. Debilitas, et frigus causae pompholygis esse videntur; nam, fatigatione, anxietate, inopia, intemperantia, et morbo confectos invadit; sed nonnunquam cum affectione renum in connexu est.

Therapia. Laxantia, refrigerantia, diuretica lenia, balneum calidum; cinchona et vinum; diaeta lauta, fere curationem efficiunt.

§. 28.

Ordo septimus.

Pustulae.

Definitio. Elevatio cuticulae cum basi inflammata pus

continens. Pustulae siccescunt, et in crustas plerumque, interdum vero in ulcusculas abeunt.

Genera hujus ordinis existunt quatuor: impetigo, porrigo, ecthyma et framboesia.

§. 29.

De Impetigine.

Symptomatologia. Pustulae exiguae, saepe ambitu inaequali, cuticula parum elevata, et in crustas abeuntes.

Nota. Impetigo plerumque extremitates corporis infestat; pustulae parvae gregatae margine leviter inflammato cinctae, paululum elevatae, vix autem acuminatae, paucis diebus rumpuntur, humorem acrem emittunt, qui exulcerat roditque cutem vicinam; pruritum igitur, calorem et dolorem movet; deinde crustae exoriuntur, quae decidunt, elevatamque cutem, rubram, asperam, spissatam, et fissui aptam relinquunt. Impetigo non contagiosa est; neque inoculatione aliis communicari potest.

Diagnosis. Impetigo ab initio, cum porrigine et scabie, confundi potest; sed a porrigine hoc modo distinguenda est: Impetigo non est contagiosa, raro infantes puerosque adoritur; praecipueque extremitates infestat; non humorem purulentum et glutinosum sed acrem effundit; neque crustas spissas, colore stramenti, molles multasque, ut porrigo efficit, format. Impetigo a scabie dignoscitur; exsudatione copiosa humoris acris; cuticula aspera, rubicunda, et fissa; magnitudine et progressu tardo pustularum, colore et dolore, qui pruritum comitantur, quae signa in scabie sese longe aliter habent (vid. §. 22 de Scabie).

Species sunt quinque: Impetigo figurata, sparsa, erysipelatodes scabida et rodens. (Tinea sic dicta mucosa etiam huc pertinet.)

Aetiologia. Temperamentum sanguineum; habitus scrophulosus; cutis tenera et mollis, causae praedisponentes esse videntur; sed concoctio prava, exercitatio nimia, intemperantia, frigus et affectus animum subito deprimen-

tes, praecipue metus et moeror, causae excitantes existimantur.

Prognosis, quoad vitam attinet, semper fausta est; nisi prognosis Impetiginis rodentis, quae etiamsi feliciter rarissima, semper lethalis esse dicitur: nihilo tamen secius Impetigo omnibus medicamentis per menses duos tresve nonnunquam perstat obsistere; multumque dat medicis negotium.

Therapia quoad medicamenta interna: purgantia lenia, sicuti flores sulphuris cum tartaro depurato, hydr. mur. mit. (granum) omni nocte; magnes. sulphur, natr. phosphor., cum multa aqua diluta; interdum aethiops antimonialis, decoctum sarsaparillae aut cinchonae cum kali aut natro carbonico, aut potus acido imbutus utilia sunt; sed in illis casibus, ubi impetigo e dyscrasia scrophulosa oritur, oleum jecoris Aselli, bis terve de die cochlear sumptum, summum remedium est. — Quoad remedia extrinsecus applicanda: ablutio cum aqua tepida, aut aqua maris; et quando superficies ita irritabilis est, ut nihil stimuli ferre possit, unguentum oxydi zinci aut acetatis plumbi, inflammationem minuunt. Irritabilitas interdum si tanta est, ut ne haec quidem unguenta perferre possit; partes affectas axungia, aut cremore lactis illinere, aut farina tritici spargere, idoneum est. Cum irritabilitas haud ita multa est, unguentum hydrargyri nitrici non nimis acre remedium optimum est. Cum calor, pruritus et dolor paene intolerabilia fiunt, et unguenta vel mitia exasperant, cataplasma egelidum e micis panis albi et aqua egelida, in qua pauca papaverum capita decocta sunt, confectum, omni tertia hora repetitum, inflammationem et irritabilitatem minuit, ut postea unguentum idoneum applicari possit. —

§. 30.

De Porrigine.

Symptomatologia. Pustulae exiguae acuminatae, basi

saepe inaequali et leviter inflammata, qua humorem spissitudine, et colore melli similem continent, et crustas subflavas induunt; nulla febre stipatae sunt.

Nota. Morbus est contagiosus et plerumque aetatem ineuntem, interdum vero adultam infestat.

Species porriginis sex observatae sunt: Porrigo larvalis seu crusta lactea, furfurans seu Tinea porriginosa, lupinosa, scutulata, decalvans et favosa.

Aetiologia. Oritur ab immunditie, fame, et praecipue contagio peculiari. —

Therapia. a) Medicamenta interna. Purgantia refrigerantia, hydrargyr. mur. mit. et pulveris oxydi antimonii, cum phosphate calcis partes aequales; aut pulvis ex aethiop. antim. c. stipit. dulcamar., decoctum cinchonae; tartras aut vinum ferri pro habitu aegri utilia sunt; contra crustam lacteam pulvis et decoctum Hb. Jaceae magno cum effectu datur. b) Remedia extrinsecus adhibenda. Ablutio bis terve indies cum aqua tepida et lacte aut cum decocto furfuris; deinde unguentum oxydi zinci, aut acetatis plumbi curationem efficient. Si inflammatio et irritatio submota est, et squamulae siccae surgunt et adhuc perstant, unguentum hydrargyri nitrici maximo cum commodo applicari potest.

Si morbus in capillo fit, caput saepe radi oportet; deinde unguento idoneo illini omni nocte, et mane aqua calida et sapone lavari; sed re vera in porrigine favosa omnia remedia memorata nihil aut parum prosunt, et nonnisi in galero picato (Pechhaube) salus et auxilium reperitur.

§. 31.

De Ecthymate.

Symptomatologia. Eruptio pustularum inflammatarum, quae distinctae, separatae, et paucae sunt. Eruptionem febris non comitatur.

Nota. Morbus non contagiosus est.

Species sunt tres: Ecthyma vulgare, infantile et luridum.

Aetiologia. Nutrimento pravo, et immunditie, in infantibus; errore concoctionis et obstipatione in adultis; continua intemperantia, labore nimio, et vigilia nocturna, in senibus oritur.

Therapia. a) Curatio Ecthymatis infantes adorientis: Nutricem mutari, munditiem stricte balneo tepido servari; alvumque solutam solutione mannae, vel pulvere rhei, verum sine profluvio teneri necesse est.

b) Curatio hujus morbi in adultis. Purgantia lenia ita adhibita, ut dejectiones duas copiosas quotidie faciant; balneum frigidum aestate; et lavatio totius cutis, cum aqua calida et sapone hieme, utilissima sunt.

c) Remedia senibus Ecthymate laborantibus convenientia. Nutrimentum idoneum, et lautum cum vino; alvus facilis; usus balnei calidi occasionalis; et tonica, sicuti cinchona, tinctura ferri muriatici aut tinct. ferri pomati, commodum haud parvum, si non curationem afferunt.

§. 32.

De Framboesia.

Symptomatologia. Febricula saepius praecedit, cum doloribus artuum, dein post paucos dies eminentiae pustulosae, passim super cutem surgunt, mori fructus referentes, et aliae aliis succedunt, tarde in suppurationem abeunt, et humorem glutinosum mali odoris effundunt.

Nota. Framboesia, contactu vel contagio grassatur, inter Africanos, Americanos indigenas, et servos Indiae occidentalis saevit.

Therapia. Ablutio cum aqua tepida, ulcuscula unguento saturnino curare, hydrargyrum ad gingivas leviter afficiendas, justa quantitate adhibitum, et postea tonica, sicuti cinchona, sarsaparilla, cum diaeta nutriente et aëre puro, utillissima sunt.

§. 33.

Appendix.

Exanthemata medicinalia.

Definitio. Exanthemata chronica usu quorundam medicaminam evocata aut exorta.

Genera existunt **quinque**: a) **Eczema rubrum** seu **hydrargyria**, usu hydrargyri praecipue interno exortum. b) **Ecz. antimoniale** s. **Autenriethii**, quae ope unguento Autenriethii (s. tart. stib.) scopo derivandi evocatur. c) **Exanthema Balsamicale** usu Balsami Copaivae. d) **Exanthm. terebinthinaceum** usu terebinthina oriens; e) **Exanthm. balnealia**, quae post usum balneorum mineralium in cute apparent, et ex diversitate naturae balneorum variantur.

Nota. De exanthematibus acutis: **miliaria** curatione nimis diaphoretica exorta, et **vaccinia** inunctione variolae vaccinae evocata, huc adnumerari possunt. —

§. 34.

Therapia Impetiginum generalis.

Indicatio radicalis est restitutio in integrum functionum cutis abnormalium, et quidem, (A) **remediis universalibus** s. internis et (B) **topicis** s. externis. a) **Causae remotae quaerendae et tollendae sunt.** Exempli gratia, immundities, diaeta prava, dyscrasiae, infarcti in intestinis, dysmenorrhoea, et haemorrhoides anomales amovendae et corrigendae sunt. In plethora, diaeta parca, et derivantia; at contra in adynamia vitali cutis, aut in infantibus atrophicis hominibusque cachecticis, methodus restaurans, et diaeta nutriens exhibeatur necesse est. Si huic curationi effectus faustus non respondet, existimandum erit, malum in cute idiopathicum evasisse, et nunc ab constitutione corporis generali parum dependere. Quam ob rem b) **curam adversus causas morbi proximas dirigi** oportet. Huc pertinet: aër purus, diaeta frugalis et

blanda, omnia acria et excitantia excludens, motus corporis sub divo, mundities maxima, mutatio linteorum frequens, balnea tepida, diaphoretica, purgantia et alterantia; scilicet Antimonialia praecipue antimonium crudum et aethiops antimonialis, pulvis Plummeri, Sulphur in omnibus formis, Guajacum, Sarsaparilla, Bardana, Caric. arenar., Taraxac., Gramen.; Cort. Ulmi, et Stipit. Dulcam., potio ex aqua picis. (summum remedium!) Medicamenta topica: plumbum, vitriolum album, alia adstringentia; Sapo, Aq. calcis, Mercurialia, Graphita, Baryta muriat., Calcaria chlorinica, carbo in lotionibus et unguentis, unguentum picis. Vegetabilia resolventia quae commemoravimus porriguntur in decoctis, unguentis et balneis, e natro muriatico, sulphure, aut mercurio corrosivo praeparatis.

Tartarus emeticus, extrinsecus (gr. j in Aq. decoct. ℥j) pro lotion. — Herba Gratiolae in pulv. (gr. v—xv) aut in extr. (gr. jj—vjjj) scopo purgandi. — Scammonium (gr. jj—jv) et resin. (grβ—jjj). — Turion. pini (℥β—℥j c. ℥xjj cerevis., aut ser. lact. vas. claus. coct.). — Bacc. Junip. interne et externe (℥j infus. aq. aut spirit. vin. ℔.j pro potu). Nicotiana, ad lotion. et unguent. — Herb. Scordii et extr. (ʒjj in Aq. ℥jv solut.) — Fuligo (pugill. jj c. Aq. ℔.j coct.) pro lotion. — Cort. mezer. (ʒj—ʒjj coct. c. Aq. ℔.jjj ad remanent. ℔.jj et caute ad ℔.β pro die adscendendo.) — Liquor cupri ammoniat. muriat.; Aqua antimiasmatica Köchlini (℥jj c. Aq. ℥xx mixt. bis in die cochlear. parv. post coenam, pro infantibus). —

Formulae medicae.

1) Rcp. Aq. font. dest. ℔. jß
lact. sulphur. ʒv
camphor. subact. ʒjj
M. D. S. omni nocte ad loca affecta applicandum.

2) Rcp. Borac. ʒjjj
Aq. rosar. ℥vjj
Mucilag. sem. cydon. ℥j
M. D. S. pro lotione (contra cutem rigidam).

3) Rcp. Tinct. Benzoes
Aq. coloniens. aa ℥ß
Tinct. ambr. ʒj
— moschi. ʒß
Aq. flor. aurant.
— rosar. aa. ℥jj
M. D. S. aqua cosmetica, in aqua destill. solvend.

4) Rcp. amygdal dulc. ℥j
f. l. a. emuls. c.
Aq. destill. ℥vjjj.
cui adde
ammon. muriat. ʒj
Tinct. Benzoes ʒjj
Aq. flor. aurant. ℥jj
M. D. S. pro lotione (aqua cosmetica).

5) Rcp. antim. crud. subtill.
natr. carbon. aa ʒβ
pulv. hb. jaceae.
sacch. alb ʒjjj
M. D. S. ter de die cochl. parv.
(cont. crust. lacteam.)

6) Rcp. Stib. sulphur. nigr. ℥β
magn. carbon. ʒj
pulv. cort. cinnamom. ʒβ
sacch. alb. ʒvj.
M. D. S. ter de die cochlear parvum.

7) Rcp. Hydrarg. muriat. corros. gr. j
Spirit. sulphur. aeth. mart. ʒj
M. D. S. ter de die gutt. x—xxx sumend.

8) Rcp. Hydrarg. stib. sulphur. gr. xxjv
natr. carbon. sicc. gr. xvjjj
cort. lign. sassafras.
sacch. alb. aa ʒj
M. div. in part. octo D. S. bis de die pulv. sumend.

9) Rcp. Lign. junip.,
rad. tarax.
— gram.
— cichor. aa ℥jj
— seneg.
sem. foenicul.
bacc. junip. aa ʒjj
C. C. M. D. S. pro thea.

10) Rcp. pulv. rad. helen.
lign. guajac.
fol. senn.
cort lign. sassafr. aa ℥β
Sem. anis. ℥jj
mel. desp. q. s. ut. f. elect. D S ter de die cochl. parv.

11) Unguentum P. Frankii contra ephelides et lentigines.

Rcp. pulv. sem. sinap. subitiliss. ℥jjj
ol. amygd. dulc. ℥β
succ. citr. rec. q. s. ut f. unguentum.